Quelle: https://manuscripta.at/?ID=409
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

tum illum uere certeque securitatis appeteret. domina insignis et merito illustris et prestantissima filia. reddens itaque debitum prestantie tue salutacionis obsequium agensque gratias quod salutis nostre religiosissimam curam geris. posco te a domino future uite premia presentisque solatia. omnium que istorum in quorum cordibus per fidem ambulat Christus. me dilectioni et orationi commendo. Et alia manu. Deus uerus et uerax ueraciter consoletur cor tuum. et protegat salutem tuam domina insignis ac merito illustris ac prestantissima filia.

Item epistola eiusdem ad Optatum.

Domino beatissimo et sincera dilectione desiderabili fratri et coepiscopo Optato. Augustinus in domino salutem. Quamuis tue sanctitatis ad me ipsum datas acceperim litteras. tamen quia illas quas ad Mauritaniam Cesariensem misisti me apud Cesaream presente uenerunt. quo nos iniuncta nobis a uenerabili papa Zosimo apostolice sedis episcopo ecclesiastica necessitas traxerat. factum est ut ea que scripsisti et ipse perlegerem. tradente mihi eandem epistolam tuam famulo dei sancto Renato in Christo nobis fratre karissimo. quo petente et mihi licet aliis occupato uehementer instante ad ea sum respondere conpulsus. Accessit huc et alterius sancti et cum debito honore nominandi fratris nostri. et consacerdotum ab illo conperi necessarii tui Muressis cum in supradicto oppido remorarer aduentus. qui mihi retulit et se misisse de hac re litteras uenerationi tue. et me de hac ipsa questione consuluit. ut quod mihi sentirem uel mei uel suis rescriptis ad te faceret peruenire. utrum scilicet anime ut corpora propagatione nascantur. sintque ex illa una que primo homini creata fuit. an create omnipotens quicumque nunc usque operatur. sine ulla propagatione nouas faciat singulis proprias. De qua re antequam aliquid admoneam sinceritatem tuam. scire te uolo in tam multis opusculis meis numquam me fuisse ausum de hac questione definitam proferre sententiam. et inpudenter referre in litteris ad alios informandos. quod apud me non fuerit explicatum. Quarum autem rerum atque causarum consideratione permouear ut in neutram assertionem meus inclinetur assensus. sed adhuc inter utramque disceptem. nimis longum est hac epistola exprimere. nec tam necessarium. ut hoc intermisso non possit de hac questione quod satis est dici putari. et si non ad auferendam cunctacionem. certe ad cauendam temeritatem. Illud enim uel maxime fides christiana consistit quod per hominem mors. et per hominem resurrectio mortuorum. sicut enim in Adam omnes moriuntur. ita et in Christo omnes uiuificabuntur. et quod per unum hominem peccatum in hunc mundum intrauit. et per peccatum mors. et ita in omnes homines pertransiit. in quo omnes peccauerunt. et quod iudicium quidem ex uno in condempnacionem. gratia autem ex multis delictis in iustificationem. et quod per unius delictum in omnes homines ad condempnacionem. et per unius iusticiam in omnes homines in iustificationem uite. et si qua alia testimonia declarant neminem nasci ex Adam non uinclo delicti et dampnationis obstrictum. neminemque inde liberari nisi renascendo per Christum. tamen inconcusse tenere debemus. ut sciamus eum qui hoc negauerit nullo modo ad christianam fidem. et ad eam que per Christum datur pusillis et magnis dei gratiam pertinere. Unde si origo anime lateat. dum tamen redemptio clareat periculum non est. Neque enim in Christum credimus ut nascamur. sed ut renascamur. quomodocumque nati fuimus. Hactenus autem